



Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

Capvt XIII. An, & quo pacto Terra, Plantæ, Bestiæque, ante, & post
peccatum Adami, subiectæ, vel mutatæ, hominique infestæ factæ sint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

340 Cap. XIII. Terra, & rerum

ipse primus homo quidquam vidi, quod
non laudaret, & ad quod, non exclama-
Psal. 8. I. ret: *Domine Dominus noster, quād admira-
bile est nōmentū in vniuersa terra?* Domi-
num vocauit, à quo ipse in terris, dominus
factus est vniuersorum; nam quamdiu Deo
seruiuit, cetera omnia illi quoque serue-
runt. Postquam rebellis factus est, quid
mirum, si ei etiam alia cœperunt rebellare?

C A P V T XIII.

*An, &, quo pacto, Terra, Plantæ,
Bestiæ, ante, & post peccatum Adami,
subiectæ, vel mutatæ, hominiq;
infestæ factæ sint?*

§. I.

Peccato terra maledictio inducta.

**Psal. 101.
15.**

 Værere meritò aliquis possit, cur
Propheta rex dicat: *Initio tu Do-
mine, terram fundasti: & opera
manuum tuarum sunt celi?* An non vtrum-
que initio fundauit? cur id non dicit de v-
troque? Nimirum cælum ita mansit, sicut
fuit initio fundatum; terra autem mutauit
faciem suam, aut mutasse videri potest;
postquam Adam exul à Paradiso elimina-
tus, terram mutauit. *Initio, eum primus*
homo

terrenarum, per peccatum, mutatio. 341

homo justus adhuc esset, Deus terram, pro illo, fundauerat omni benedictione plenam. Postquam præuaricatus est, caussam Deo dedit, ut terra non maneret talis, qualis fuerat *initio fundata*. Quamobrem dixit ad eum Dominus: *Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo, precepereā tibi, ne comederes, MALEDICTA TERRA, in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vita tua, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerē reuenteris.* Hinc fundi nostri calamitas. *Hinc initio tu, Domine, terram fundasti: terram irriguam, quia fons ascendet debat è terra irrigans uniuersam superficiem terra;* terram floridam, terram omnis voluptatis feracem; verbo Paradisum: sed, post hoc initium, inobediens homo solum vertit & felicitatem, atq; ex loco voluntatis, fecit *terram miseria*, latomiam laboris, ergastulum calamitatis. Illud *initio tam pulchrum viridarium erat ab omnipotente Creatore ita homini concinnatum, ut quacunque oculos circumferret,* merito exclamaret: *Quam magnificata sunt* Ps.103.25.

I 3

opera

542 Cap. XIII. Terra, & rerum

operatua, Domine? omnia in sapientia fecisti:
impleta est terra possessione tua. Gleba bona
Matth. 13. inimicus homo Zizania superseminauit. Ho-
mo, cum in honore esset, non intellexit: compa-
Ps. 43. 13. ratus est jumentis insipientibus, & similis fa-
Gen. 3. 18. etus est illis. Hinc illi dictum est: Et comedes
herbam terra, sicut & Nabuchodonosor ile-
gimus accidisse; quem regijs dapibus assue-
Dan. 4. tum illa sententia percussit: Fœnum, ut bos
22. comedes. Hunc relinquunt, peccata effectu,
hoc fructi, pro seruitute, à diabolo mor-
Rom. 6. tales ferunt. Deniq; stipendia peccati mors.
23.

§. II.

Paradisi in terram miseria mutatio, fa-
bulâ expressa.

Ælian. Tradit Theopompus, in colloquio, quod
lib. 3. inter Midam Phrygem, & Silenum inter-
cessit, à Sileno etiam hoc narratum fuisse;
cap. 18. in Meropum finibus locum esse, & nomi-
nari Anostum, (id est, sine reditu, seu unde
non est reditus) similem voragini & hiatu:
neque vero tenebris, neq; lumine insignem; sed
aerem impendere obscuro quadam rubore per-
mixtum. In eo loco duos flumios labi, alterum
voluptatis, alterum tristitia: & ad utrumq;
arbores sitas esse magnitudine platani magni.
Qua ad flumen tristitiae sunt, eiusmodi natura-

AC



ac potestatis fructus producere: si quis iys vesca-
tur, eum tantum ejcere lachrymarum, ut per
uniuersæ vitæ reliquum tempus, fletibus, lu-
cidib[us]q[ue] diffuat, & sic vitam finiat. Alteras
vero, quæ fluuij voluptatis agnascuntur, fru-
ctum contrarium ferre: qui enim hunc gustat,
ab omnibus pristinis cupiditatibus abducitur;
paulatimq[ue] fit junior, atq[ue] præcedentem etâ-
tem, & iam transactam retrò agit ac resumit.
Hæc Chij fabula historicam protoplasti
exprimit veritatem, ostenditque, quâm fe-
lici origine nati, in quantam peccato mife-
riam dejecti simus. Terra hæc, inter cælum
& inferos, media, voragini similis est,
neq[ue] damnatorum tenebris horrida, neq[ue]
luce beatorum clara, sed alternis vicibus,
nunc sole illustrata, nunc obscurata no-
ctibus, mixtum quiddam de vtroq[ue] præ se-
fert. In hac terra, duo fluuij, seu gemini vi-
tae humanæ status fuere: in uno extitit
torrens voluptatis; nec enim tam copiosis
aquis fons de terra, in Paradiso, quâm mul-
tis gaudijs læta felicitas, quasi juge conui-
nium, in mentem Adami ascendit. Ad hunc 15.
gaudiorum fluuum, accreuit arbor vitæ,
cuius fructu gustato, vigor, juuentus, vita
omnis homini refloruissebat. Sed maluit no-

ster parens ex illa arbore fructum gustare, quæ meritò dici potest, ad flumen tristitia fuisse adsita. Nam, postquam Adamus ad eius pomum dentes admouit, ita flere illico cœpit, ac si non pomum, sed allium aut cepas momordisset. Enim uero hæc arbor coëgit eum tantum eycere lachrymarum, ut per uniuersa vitæ reliquum tempus fletibus, lacribusque difflaeret, & sic vitam finiret.

§. III.

Quantum arbor scientia boni & mali nocuerit homini? & unde sic dicta sit?

Cui igitur attribuenda est exilio nostri caussa? Numini, an homini? Innocenti sapientissimus architectus condidit Paradisum; reo decreuit exilium. Homo, cum honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. De honore dejectus est, postquam de virtute cecidit; & illico corporis morti addictus, vbi gratiam, quæ est animæ vita, extinxit. Fatalis illa arbor, ex communi Theologorum sententia, idcirco arbor scientia boni & mali est nuncupata, quia primi parentes nostri, per comestionem vetiti illius fructus, experimento didicerunt bonum, quo prius fruebantur, malaque subsecuta, quæ ob

Psal. 48.
23.

ob inobedientiam, illis sunt immissa. Hic enim mos est S. Scripturæ, vt res ab euentu appelle. Nam & locus ille, in quo Abrahām puteum foderat, pro quo, Abimelech ^{Gen. 21.} _{30.}

Domino terræ illius, septem agnos dedit, dictus est Bersabea, id est, *fons septem*, scilicet agnarū; seu *fons*, vel *puteus juramenti*, quia ibi vterque juramento pactum firmauit. Et pars illa deserti Pharan, dicta est, *sepulchra cōcupiscentia*, quia ibidē interfecti sepultiq; ^{Num. 11.} _{34.} sunt, qui carnes intemperanter cōcupiuerunt. Alij, quia arborem illam, *scientia boni Gen. 2.* & mali, sic, ante lapsum hominis, bis appellauit Deus, censent, eam sic dictam ab eo, quod futurū præuiderat, quipræuidet omnia; nisi, vt s̄epe quoque alibi, id, per antcipationem à Moysè relatum; aut arbor à deceptione nomen accepit, qua serpens *v-* sus dixit: *Eritis sicut Di, scientes bonum, & malum.* Quæ ipsa deceptio satis magna miseria fuit. Siquidem non solum Adamus eo esu vitam suauem, quam in cælo, beati agitant, non est consecutus; verùm etiam, statim, reipsa, post præuaricationem, ærumnosam illam experimentalem boni & mali scientiam acquisiuit, quam habet, quicunque, bono amissio, in mala inciderunt. Ita-

Y 5 que

346 terrenarum, per peccatum, mutatio.

que inde calamitosi esse cœperunt homines, vnde, sicut Dij, esse voluerunt. Hic ex vetito fructu, fructus natus est. Ex uno malo, omne nobis malum germinauit. Digni sunt exilio, qui patriam contemperunt. Meritò in agrum, & ad stiuam mittitur, qui in horto Dominum non colit.

§. I V.

Esis mortifero, homo sibi ipse mortis cauſa fuit.

Igitur, si mala putatur mors, malum id
Sapi. 1. 13. Deo non est imputandum. Quoniam Deus
mortem non fecit. Impij autem manus &
Rom 5. 12. verbis accersuerunt illam. Propterea, sicut per
unum hominem peccatum in hunc mundum
intravit, & per peccatum mors, & ita in om-
nes homines mors pertransiit, in quo omnes pec-
auerunt; ita homini, non hominis Condi-
tori, cauſa mortis est ascribenda. Potui-
set Adamus & posteri eius, in terra diu fe-
lix viuere, & eo modo, quo exoptat A-
postolus dicens: *Nolumus expoliari, sed su-*
a. Cor. *perueniri, de terrestri ad cælestem Paradi-*
cap. 5. 4. *suum, sine ullo interitu, aut corporis ex-*
poliatione, transire: sed, relieto vita ligno,
de mortifera arbore comedit. Habet ergo,
quod voluit; quia magis ei sapuit culina-
diaboli.

diaboli, quām epulum DEI. Itaque arbo-
rem vitæ amisit, quando ad illud lignum
curiosas manus extendit, quod serpens ve-
nenauit. Aiunt, non procul à Malaca ar- Histor.
borem nasci, cuius radices cū multæ Si. p. 4. 6.
sint, in varias dispersæ partes, diuersos esse. 17.
Etus sortiuntur. Quæ enim ad orientem
spectant, antidotum præbent aduersus ve-
nenum quodlibet, febrésque pellunt; ali-
ásque ægritudines: at quæ vergunt ad oc-
casum, iphissimum venenum propinant.
Tales arbores vitæ, & mortis mundi Opi-
fex posuit in Paradiso. Cur homo, Orien-
te neglecto, vertit se ad Occidentem? Si
sudat ad aratum; habet, quod elegit. Si
terram labore subigit; habet, quod elegit.
Si vescitur pane duro; habet, quod elegit.
Si spinas sentit; habet, quod elegit. Si mor-
tem timet; habet, quod elegit; cur viuere
recusauit? Elegit enim pœnam, quisquis
cum electione ruit in culpam.

§. V.

An spina fuerint, ante hominis peccatum?

Itaque justus Devs, qui terram in usus
& delicias hominis condiderat; eandem il-
li reo in pœnam conuertit. *Quia audiisti vo-* Gen. 3. 17.
cem uxoris tuae, ait, & comedisti de ligno, ex
quo

quo praeceperant tibi, ne comederes, maledicta
terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea,
cunctis diebus vita tuae. Spinas & tribulos ger-
minabit tibi. Vbi sensus non est, primum,
post delictum Adæ, spinas & tribulos, & lo-
lium, & aconita, & alias plantas venena-
tas, in pœnam scilicet præuaricatoris, cres-
cere cœpisse, rosasq; ab initio, sine aculeis,
enatas. Si enim serpentes, in Paradiso fue-
runt, & animalia virulenta, cur nō & rubi,
& spini, & rosæ hamis septæ extitissent?
Non mutauit peccatum primi parétis, na-
turales hominum proprietates; cur mu-
tasset proprietates rosarum, aliarumque
plantarum? Et pertinebant vtique om-
nes herbarum, arborumq; species ad per-
fectionem vniuersi. Quo pacto igitur ait
summa Veritas: Spinas & tribulos germina-
bit tibi terra? Nimirum, sicut antè, quām
homines ceteraque animantes conderet
Devs, plantas bonas procurauit, vt homi-
nibus ceterisq; animatis paulò post ex-
tituris essent in cibum; ita quoque prospic-
iens hominis delictum, in futuram pec-
cati illius pœnam, rosam cum spinis, tribu-
losque, & noxias herbas, ac virulentas be-
stias produxit; quæ omnia homo, si nō pec-
casset,

casset, liquidò dignoscere, & ob dominij, scientiæ, prudentiæ, diuinæque protectio-
nis plenitudinem, aliásq; caussas, sine ullo incommodo, deuitare potuisset: post la-
psum autem hæc illi in pœnam facta sunt,
quia ineautiūs vitauit, & sæpius permisus
est in ea præcipiti cæcitate incurrere.

§. VI.

Ab homine, hominis malum ortum.

Itaque, qui terræ miseras accusatis: Au- Amos. 4.
dite verbum Domini, quia judicium Domino I.
cum habitatoribus terra: non est enim veritas,
& non est misericordia, & non est scientia Dei
in terra. Maledictum, & mendacium, & ho-
mocidium, & furtum, & adulterium inunda-
uerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter
hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui
habitat in ea, in bestia agri, & in volucre celi.
Nemo nescit culpam esse pœna peiores:
cùm peccatum sit verè & vnde quaque, aut,
vt loquuntur, absolute malum; pœna au-
tem secundùm quid duntaxat, & ei, qui
eam sustinet; in se autē justitiæ opus; quod
alijs est in exemplū virtutis. Igitur imerito
Deum accusatis, si terrā sinit esse spinosam,
quam vos ipsi sceleribus repletis, veris, ma-
gnis, detestandis malis. Quæ seminauerit ho- Gal. 6. 8,

mō,

350 Cap. XIII. Terra, & rerum
mo, hac & metet. Hanc messem si Adam vo-
luisset vitare, semetem omittere debuisset.

§. VII.

Hominem, etiam post peccatum, plantis be-
stijis esse superiorem.

Quanquam neque herbæ illæ ipsæ, aut
bestiæ multis noxiæ, adeò noxiæ sunt, vt
Plin. li. 8. utilitate sua careant. Rectè ille dixit: Non
nat. hist. est fateri, rerū naturā largius mala, an reme-
cap. 23. dia genuerit. Quippe cùm, vt viperæ morsus
viperæ cinere curatur, ita ex ipsis venenis
optimè medicinæ cōficiantur; & nosci etiā,
nū, ac vitari, ac ipsæ quoq; bestiæ domari,
magna ex parte, vel occidi possint, quæ pos-
sunt nocere. Neque enim initio tantum,

Gen. 1. 26. atque ante peccatum, Devs dixit: Facia-
mus hominem ad imaginem & similitudinem
nostram: & praesit piscibus maris, & volatilibus
cæli, & bestijs, uniuersaq; terra, omniq; reptiliis,
quod mouetur in terra: sed etiam post pecca-
tum, imo post diluvium, dixit Devs Noë,

Gen. 9. 2. & filijs eius: terror vester, ac tremor, sit su-
per cuncta animantia terra, & super omnes
volucres cæli, cum uniuersis, quæ mouentur su-
per terram. Multa sanè sunt animalia ho-
minibus fortiora, atque ea propter metu-
enda; nulla tamen prudentiora; qua de
caussa

caussa omnia hominem timent, cuius ingenio & industria vincuntur. Gymnetæ Æthiopiæ populi, teste Diodoro, regionem incolentes asperam, super arbores ferarum timore, dormiunt: sub auroram, ad aquarum decursus armati prodeunt, se abscondunt, inter arborum frondes. Sub æstu verò solis agrestes boues pardalésque, ac varia ferarum genera, cùm caloris, tum sitis caussa, ad aquas confluant: quas aqua iam grauatas ex arboribus descendentes occidunt, perq; cœtus diuisas edunt. Impuberes pueros exercet ad certum signum jacere, solis cibos præbentes ijs, qui signum tetigere. Ideò jaculatores optimi euadunt, vrgente fame. Æthiopes isti timore testantur, feras nocere, industria ostendunt vitari vincique posse. Initio quidem bestiæ hominibus, nocere non potuissent; quia quām diu Adam DEO seruiuit, etiam illi bestiæ perfectissimè subjectæ seruierunt; idem est dicere, ait Glossa interlinearis, præsit piscibus maris &c: ac si diceret, Dominus sit omnium inferiorum: postea tamen, sicut ille DEO, ita illi bestiæ rebellarunt. Habuit Gen.1.26. ergo, quod timeret, cùm id peccato meruit. Ratio tamē illi relicta est, ut caueret.

Ex

Diodor.
li. 4. c. 3.
de reb.
antiq.

32 Cap. XIII. Terræ, & rerum

Ex quo fundamento duplex quæstio solvitur, cur nempe Eua non horruerit, cum serpente colloqui? & quamobrem, etiam post peccatum, homo dicatur Dominus bestiarum?

§. XIII.

Hominis in bestias dominium appareat, ex Eua serpentem non horrente.

Ad primam quæstionem quod attinet;

1. Constat Euam à serpente seductam. 2. Constat, non seductam à naturali serpente; qui quia ratione, & sermocinandi facultate est destitutus, cum Eua naturaliter colloqui, & de imposito præcepto disputatione non potuit. 3. Constat, Euam à diabolo propriè ac principaliter deceptam.

Sap. 2. 23. *Quoniam Deus creauit hominem inextirminabilem, seu quodammodo immortalem, ad imaginem similitudinis sua fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

Io. 8. 44. Et, ut Christus Seruator ait: ille erat homicida ab initio; quia primos homines ad peccatum, & per peccatum ad mortem induxit, mortiq; obnoxios fecit. 4. Constat diabolum, per os serpentis, eo modo, locutum fuisse, quo solet alias, penergumentos verba humana formare, at loqui

loqui linguis, quas ipsi etiā arreptitij nunquam intellexerunt; aut quo pacto bonus angelus, per asinam, Balaam malè euntem *Num.* 22. castigauit. His ita se habētibus, posset me- 30. ritō quispiā scripturæ imperitus quærere. Cur serpente omni callidior cacodæmon, illis exuuijs, aut induuijs vsus sit? Ineptè enim laruam formidabilem inducit, qui vult blandiri; neque terrere debet auceps aues, quas vult fallere. Cūm igitur serpenti aspectus sit horribilis, incallidè posset videri fecisse insidiator ille, quando, in serpente, Euam compellauit. Sed profectò incallidè non fecit, cūm illi cognitissimum esset, ita tunc animal omne hominis esse in potestate, vt nullum Euæ nocere, nullum ei horrorem, aut timorem injicere posset.

§. IX.

*Serpentis cum Eua collocuti forma
& pulchritudo.*

Sunt qui existiment, serpentem maximè opportunum fuisse ad Euam deliniendam, ac jucūdissimè deuinciendam, cūm astutissimus humani generis hostis vtiq; non deformem aliquem, sed vnū de venustioribus delegerit, quem Scytalem vocant, de quo

Z Solinus

Solin.

cap. 29.

Philip.

Melanch-

thon. in

explicat.

Euāg. die

paleatis.

cap. I.

Solinus tradit, quod tanta præfulgeat tergi varietate, ut notarum gratia, videntes retardet, & quoniam reptando pigrior est, quos assenti nequit, miraculo sui capiat stupentes. Hodie adhuc in Asia circumferuntur serpentes, in quibus habitat diabolus, ait diaboli quidam apostolus. Bonum est, adolescentes hoc scire. Sunt quidam prestigiatores, in Asia, qui circumveunt per totas insulas, & gestant serpentes, quibus saltantibus, putant purgari domos; sic, ut nulli serpentes intrent, aut inficiant eam aedes (audiui ista à bonis & honestis viris, qui viderunt) ita autem agere solent. Gestant serpentes in vase cupreo, unum atq[ue] alterum: & cùm veniunt in domum, aperiunt vas, & incipiunt ludere tympanis, tūc paulatim assurgit serpens, & aperit rictum oris, ex quo, post incantationem, prodit caput facie virginæ pulcherrima. Est imaguncula similis capiti virginis. Tandem iterata incantatione sensim retrahit serpens, & abdit caput in os. Ipse vero serpens fit lāguidus, & quasi exanimatus recidit, quia diabolus cruciat eum. Hec non sunt fabulosa. Et sic diabolus transformavit se in serpentem, quando decepit Euam & Adam. Pronā vtique illecebrā, si non fabulosa, & cui subscribunt quidam pictorum penicilli,

§. X.

§. X.

*Cur Deus permiserit Euam tantum à diabolo,
specie serpentis, tentari?*

Quanquam & illud, cum D. Augustino
dici possit: *Non esse putandum, quod diabolus*
serpentem, per quem tentaret, elegerit; sed
cum decipere cuperet, non nisi, per illud animal
potuisse, per quod posse à Deo permisus est. No-
cendi enim cupiditas inest cuique à se; sed potes-
tas à solo Deo est. Quod si quis scire velit,
cur Deus non permiserit dæmoni, in leo-
nis, aut draconis, aut alterius immanioris
bestiæ larua hominem aggredi? respondent
sacri interpres, ipsum dæmonem fuisse
quauis bestia immaniorem ac fortiorem,
quia non est super terram potestas, qua com- Iob. c. 1.
paretur ei, qui factus est, ut nullum timeret;
sed noluisse diuinam prouidentiam, ut ho-
mini, in statu innocentiae, vis inferretur.
Usque adeò cum vndique muniuit, ut, nisi
liberè vellet, non posset superari, aut ca-
pere detrimentum. Itaque, quem viribus
non potuit vincere, fraude cepit Orcus. Ad
fraudem autem aptissima erat callidissima
bestiarum; ex cuius proinde intuitu solo
moneri potuit Eua, ut à fraude sibi ca-
ueret. Non cauit misera: digna igitur facta

S. Augu-
stin. li. II.
de Ge-
nes. ad
lit. cap. 3.

Z 2 est,

est, quæ postea formidaret anguem, cui
priùs dominabatur. Quam poenam Dei

Gen. 3.14. ipse expressit, cùm diceret: *Inimicitias po-*
nam inter te, & mulierem; & semen tuum,
& semen illius: ipsa conteret caput tuum, &
tu insidiaberis calcaneo eius. Quæ non dicun-
tur, quasi, ante peccatum, serpens virus nō
habuisset homini inimicum, cui id natura-
le erat; sicut & super pectus reptare, & ter-
ram comedere: sed quia hæc ante maledi-
ctionem, non faciebant serpentem homini
abominabilem. Siquidem, ex speciali Dei
prouidentia, in statu innocentiae, virulenta
homini nocere non potuerunt. Quod cùm
sciret Eua, serpentem non est auersata,
sed cum eo familiariter conuersata. Post
inobedientiam, &, quæ ex ea profluxit,
maledictionem, cœpit serpens posse homi-
nem veneno inficere; eaque de causa cœ-
pit ei esse execrabilis, de malignitate & per-
nicie; contemptibilis de vilitate, vt, qui
humi reptaret, & terra vesceretur: quæ vi-
lliuss maledictionis, apud homines, pro-
bro esse cœperunt; priùs ei, ex na-
tura, sine nota, conue-
niebant.

§. XL

Ius homini in bestias & dominium, post peccatum, ita quidem mansisse, ut tamen non manserit eadem securitas.

Hæc cùm ita sint, fuerintque, ante Adami lapsum, rectè tamen, etiam post eius peccatum, homo, quantumuis nonnullas bestias metuens, & exosas habens, dicitur esse dominus bestiarum. Neque dum enim jus, & amplissimam in eas potestatem amisit, tametsi amiserit securitatem. Ius enim hoc illi, ob naturę rationalis excellentiam, & imaginem DEI, est naturaliter datum. Quia igitur peccatum naturam non destruit, consequens est, hominem bona naturalia, ob peccatum, non amisisse. Atque hæc potestas denuo homini à Dœo fuit confirmata illis verbis: *Terror vester, ac Gen. 9. 2.*

tremor sit super cuncta animalia terræ &c.

Omnis pisces maris manui vestra traditi sunt;
Omne, quod mouetur & vinit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Hinc licitum est, venari, aucupari, piscari, capere, occidere animantes, carnisibus earum in cibum, pellibus in amictum, dentibus & cornibus in instrumentū vti. Queri justè non possemus, si omni hoc do-

Z 3 minio,

Iac. 3. 7. minio, per peccatum, excidissemus. Nunc
adeò dominium istud nobis est relictum, ut
S. Iacobus dicat : *Omnis natura bestiarum,
volucrum, & serpentium, & ceterorum do-
mantur, & domita sunt à natura humana.*
Quod antè, quām ostendamus, verissimū
esse, fatendum est, discriminem inter perfe-
ctum illud dominium, quo gaudebat in
statu innocentiae Adamus; & quod, post
admissum à primo parente delictum, in ho-
minibus remansit, quo ad usum, valde im-
minutum ac limitatum. Siquidem Adam,
in priore illo statu, non solum circumspe-
ctiùs cauere potuit, intellectu nondum ob-
scurato, & peculiari protectione diuina-
munitus; sed etiam ex parte animalium
longè pleniorē habuit potestatis usum
atque executionem, & obedientiam: vel
quia, vt nonnulli arbitrantur, Angelico
ministerio prouisum fuit, vt bruta anima-
lia, suapte natura, imperio voluntatique
humanæ, ad amissim, obtemperarent: vel
quoniam tunc homo multò exactius no-
uerat proprietates, naturalesque anima-
lium inclinationes; quas qui nouit, faci-
lius vtique domat, subiicit, flectitque, &
sibi obsequentia reddit; vt experientia vel
hedit

hodie demonstrat. Sunt enim variæ artes industriaeque, quibus animantes cicutantur; quarum qui plures callet, plures bestias māsuefacit. Hos animalium effectus, atque inclinationes, haud ita posteri Adæ, perspectas habent, vt ipse: neque nunc Angeli bestias, vt priùs, solent ad nutum facere obsequētes. Vt hoc fieret, homo causam dedit, & exemplum. Si voluisset sibi parere bestias, D̄eo debuisset ipse obedire. Rebellionem sibi peperit rebellando. Hoc *judicium Domino, cum habitatoribus terra.* Amos. 4, 11. Prævaricati sunt. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cali.

C A P V T X I V.

*Quantum homini, etiam post peccatum
Adami, in omnis generis bestias,
dominium, quantaq; potes-
tas relictæ sit?*

§. I.

*Sancis qnibusdam contra serpentes, dracones,
& leones potestas diuinitus data.*

VT autem non lateret nos, quid peccato amissum sit, aut quām clementem judicem habeamus,

Z 4 domi-